

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvrzfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

Caput IV. De Fine Veteris Burgundionum

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

sibi constat Iornandes, alios, quam Valentinos nostros innuens, ac forte eos, qui post Vandorum in Hispanias migrationem reliqui erant. Procopius a Vandis in societatem adscitos, Gothicum genus vocat, lib. 1. *Vandal.* Quos Salvianus a Gothis stricte et ut quatuor insignioribus illius aevi nominibus appellati sunt, distingvit lib. 7. pag. 273. Vbi tamen alii legunt, Alemanni, mea opinione rectius. Contra quam apud Turonensem lib. 2. hist. cap. 9. pro Alamannorum sine dubio legendum est Alanorum, quandoquidem Goar, eius ex Renato Profuturo Frigerido meminit, rex fuit Alanorum, quem secutus est Sambida, unde Alanii hi Sambidenses, qui perinde ac Vandali Burgundionesque ritus Arianos amplexi sunt, nominantur.

#### CAPUT IV. DE FINE UETERIS BURGUNDIONUM REGNI, AC PRIMORDIO IBIDEM SVPREMI DOMINII FRANCORVM.

Cum hoc loco res Burgundionum essent, poterant quidem beneficio fortunae uti, pacemque servare, et florentem regni statum, nuper a caede AEtii auctum concordia firmare, Francorumque animos necesitudine et amicitia maiorem in modum conciliare. Qvod dum sive alienati aemulatione potentiae, quae inter necessarios maxima acerrimaque est, sive impediti invidia, quae socios finitimosque saepissime in bella concitat, positoque metu, libidini affectuum indulgent, ruitaque in se invicem, et multa crudeliter faciunt, nec sanguini suo parcunt, causa occasioque belli datur Clodovaeo, quippe non passuro opprimi Godegisilum, natu minimum Gunduchi filium, ne, si eius causam negligeret, a Gundebaldo fratre natu maximo oppimeretur. Qvod cur faceret, multas et graves cum affinitatis et vicinitatis, tum foederis aequitatisque rationes habuit, atque adeo honesto consilio Godegisilum tuendum suscepit, injustosque Gundebaldi conatus praevenit, ac tempestive impedivit, quo minus in eum acerbius consuleret, et saevum sanguinariumque animum exploreret. Omni iure enim cavidum duxit, ne idem Godegisilo, qvod ipsius fratribus Chilperico et Gundimaro indigne peremptis, eveniret, totaque regni Burgundici haereditas contra promissi fidem, contraque pactionis ius ad Gundebaldum, crudelitate instrumenta potentiae quaerentem, devolveretur. Itaque pro charitate in eam stirpem, proque necesitudine nuper contracta, querelae interpolationesque Godegisili apud Clodovaeum valuerunt, ut eum foedere sibi coniungeret, occasioneque pariter recuperandi illius iuris, et frangendae Gundebaldi potentiae uteretur. Praesertim quum recognoscit, ambitio-

nem

nem Gundebaldi crudelitate firmari, iamque ex ruinis Fratrum auctam  
vehementer sibi ipsi esse pertinendam, quando rerum usū didicerat,  
Burgundiones post interitum AETII maiora agitasse, promissa etiam utili-  
tatis causa violasse, iniurias praeterea fratrem fratribus intulisse, et nomen  
munusque regium polluisse. Hinc vero existimare posse, qyid sibi metu-  
endum sit, si odii contentionumque causae inter finitos existerent, quae  
eo frequentiores futurae essent, quo maiore dominandi cupiditate inflam-  
maretur Gundebaldus, qui contra morem comitatemque vicinorum regum  
invitus sibi Chrotildem elocasset, dosemque petenti difficilem se praebuif-  
set. Qvanquam in contrariam sententiam dixit Gundebaldus, Clodovaeum  
summo studio id operam dedisse, ut suspicione ac discordiae alerentur,  
litesque nuper coptae bello Gundebaldi partibus exitioso disceptarentur.  
Eam ad rem perficiendam Clodovaeus ab uxore Chrotilde (a) instigatus  
est, neque ei post tot clades Romanis illatas, iniucunda haec occasio acci-  
dit, qvod ab externo hoste sibi non timebat, quum mortem suorum, inter  
quos etiam Chilpericus Chrotildis pater fuit, opportune iam ulcisci pote-  
rat, crescereque ex Gundebaldi ruinis, et maius capere incrementum.

(a) Amoinus de gestis Francorum lib. 2. cap. 3. significanter indicat animum  
Chrotildiae cupidum, qvod non modo maritum Clodovaeum, ut ratione  
eventorum colligitur, sed filios quoque Clodomirum, Childebertum et Clotharium ad  
ulciscendos invadendosque Sigismundum et Godemarum, Gundebaldi filios incendit,  
veteri pariter et novo odio, recenti Sigismundi scelere suscitato, Gregorius Turo-  
nensis lib. 3. hist. c. 5.6. Gesta Francorum epitomata cap. 19.34. Iohannes de Bue-  
sferes hist. Franc. lib. 1. pag. 45. Altius vero bellis huius causa repetenda est ab  
aemulatione potentiae, quae nusquam magis si prodit, quam inter vicinos et fo-  
deratos, ut hattenuerant Clodovaeus et Gundebaldus. Vicinos fuisse, extra con-  
troveriam est: foederatos fuisse, ex Isidoro Hispanense videtur posse colligi, quum  
tradit, Gundebaldum capta Narbona, Gesalicum Gothici sanguinis principem Gallia  
expulisse, in Chronico Gothorum Era DXLV: cui responderet A. Cb. DVII. Nihil autem  
causae fuit, cur hoc faceret Gundebaldus, nisi ex foederis cum Clodovaco icti formula  
id faciendum suscepisset, properea qvod Narbona, quam Gundebaldus notho Alarici  
filio Gesalico eripuit, ditioni Clodovaei subiecta est, nec dubito, quin praedae spes  
Gundebaldum illexerit, atque in bello contra Gothos Aquitanos societatem facile per-  
traxerit, quando eamens Gundebaldo fuit, ut habendi cupiditati nec modum faceret,  
nec finem. Deinde fugato in Hispaniam Gesalico, convenit ei cum Theodorico notho  
Clodovaei M. filio, ut Arelaten, quam VVestrogothi in possessato tenebant, obsidione  
eingerent, adituque Rhodani Ostrogothos, VVestrogothorum iura defensuros, prohibi-  
berent. Iamque Franci et Burgundiones Arelatensem urbem premebant, cum Theo-  
doricus Ostrogothorum rex, lbbam Duxem laborantibus popularium rebus summisit,

caefisq[ue] ad urb[is] pontem Franci, Arelaten periculo liberavit. Eam in sententiam graviter script[us] Cyprianus, qui vitam S. Caesarii Archiepiscopi Arelatensis edidit, liberationemque hanc in parte divini beneficii posuit mulsumque celebravit. Nos quidem, inquit, credimus et confidimus in Domini misericordia, fide et precibus B. Caesarii id effectum esse, ut ipsius temporibus ita obsessa sit ab hostibus civitas Arelatensis, ut tamen nec capi potuerit, nec praedae patere. Atque sic deinde a VVisigothis in Ostrogothorum ditionem pervenit, hodieque in Christi nomine paret clarissimo regi Childeberto, ut possit de ea quoque dici: Transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum, et non permisit Deus sub illo hominem nocere Arelatensibus suis. Haec enim scriptor vitae Caesarii Cyprianus, quo plura ad hoc argumentum pertinentia describere non vacat. Etenim iam nemo non intelligit, rege Theoderico Arelaten in Ostrogothorum ditionem pervenisse, atque ita nec Francos, nec Burgundiones Galliam Arelatensem proximamque Massiliensem et Narbonensem occupasse, ditioneque suae subiectisse. Atque hoc respexerunt Cassiodorus in Chronico COSS. Venantio juniore et Celere, qui signant A. C. 508. et Var. lib. 1. ep. 24. ubi Gothos ad exditionem Gallicam excitat, l. 4. ep. 17. quum ad Ibam (alii Hibbam, alii Ibbam legunt) Narbonae rectorem scripsit, lib. 8. ep. 16. ubi acre praelium Francos inter Gothosque commissum memorat, et solutam Arelates obfisionem subindicat: conf. Iornandes \* de reb. Get. p. 142. edit. Lindenbrog. Procopius \*\* bell. Gotb. lib. 1. edit. Hoeckel. p. 185. 186. edit. Hervag. p. 31. Victor Tununensis nihil hac de re in COSS. Venantio et Celere memorat, excepto quod marginalia, ut vocant, Chronicu eius adscripta hanc praelii fatalis epocham, viciique Alarici exitum, et regni Toulouse ruinas commonstrat. Sed quae postea initia causaeque fuerint bell[i], inter Francos, Burgundionesque gesti, paucis aperiam. Nam Franci foedere fuisse iudeos, et quum res postulabat, auxilium tulisse iam dixi, et autore Cypriano confirmavi:

\* Iornandes recte habet, sibiisque constat, dum superatos profligatosque Francos scribit, sed cum de numero addit, XXXM, eorum caesa, odii in Francos postulatus praesertim quum Procopius nihil tale prodit. Iornandi vero assentitur Paulus Diaconus in app. Europiana. Contra non definit cum haud verosimilem numerum Cassiodorus in Anastasio, Era COSS modo signata.

\*\* αὐτὸς (Θεοδήριος) Γαλλίας τὰ λαττά περιειστρέψας. Ipse (Theodericus) reliquam Galliae partem recuperavit. Quod congrue explicandum est I. ut Galliae mari mediterraneo et montibus Pyrenaeis finitima intelligantur. II. Tales Galliae sunt Arelatensis, Massiliensis, Narbonensis et Novempopulana Pyreneis montibus adiacens. III. Quod de recuperatione additur, id eo spectat, ut innuatus ius postliminii propter dominium, quod proxime illuc habuerunt VVisigothi, qui Ostrogothorum fuere propinqui et populares, quique super sub rege Alarico, cuius sacer fuit rex Ostrogothorum Theodericus, floruerunt, sed eo post in pugna, quae in campo Vocladensi conservata est, amissi, regno fortunisque a Francis sunt eversi. Vid. gesta Franc. epitomata cap. 17.

vit; sed vero etiam diffidia habuisse, et decertasse, vel solus comprobare posset Gothorum rex Atalaricus apud Cassiodorum var. lib. 8. ep. 10. Prius autem, quam cum Francis commissi sunt, cum Torismundo VVestrogothorum rege bellum gererunt: sed ab eo in ordinem redacti, auxiliares ipsique devoti fuerunt, quod affirmat Iornandes de reb. Get. p. 126. Devotos autem nominat in quo (quod vulgo inaequale dicunt,) foedere coniunctos, certisque conditionibus ad auxilia officiaque præstanta obligatos, nempe ab eo tempore, quo a Torismundo victi, tributum daturos se promiserant, vid. Pontus Heut. rer. Burg. lib. 1. Deinceps Euricis VVestrogothorum rex Burgundiones subegisse traditur, apud Iornand. de reb. Get. p. 129. Quoniam vero tunc Franci magnis viribus in Galliam irruerant, novis bis motibus ea tributi consecratio impedita est, nec quidquam eo nomine Burgundiones, regis Theoderici antehac socii, contulerunt, Heuterus d. loc. Quin et Theoderico, cum ad condendum in Italiæ regnum animum adiceret, bello Odoacris distracto, Gundebaldus Liguriam invasit ac diripuit, plurimosque captivos in Galliam abduxit, v. Paulus Diaconus in appendice Eutropiana. Oppresso autem post Alarico, ex cuius nomine Iornandes omen sumvit, Theodericus VVestrogothorum causam contra Francos pariter et Burgundiones tuendam suscepit, Arelatumque ab utrisque circundatum a periculo exemit, ut testis est Cyprianus vitae S. Caesarii scriptor. His ita gestis, proferendi regni consilium agitat Clodovaeus, pulsisque Gallia Romanis, Burgundos vicinos opibus et potentia validos, et post Actis necem maiori accessione nuper auctos, suspectos habet, et belli causam quaerit. Testatur Procopius, Germanos, (Francos) cum Burgundionibus conservisse manus, atque eos bello superiores, hos stipendiarios habuisse, bell. Gotb. lib. 1. Enimvero regnum Burgundionum cum multis aliis modis, tum præcipue hoc felicitatis genere infra regnum Francorum fuit, quod 1. Gundivus precarium acciperet a Valentiniano III. \* 2. quod VVestrogothis, cum regnaret Torismundus, posteaque Francis veltigale, sive tributarium redderetur. Gregor. Thron. lib. 2. cap. 32. 3. quod a Francis denique in ditionem redigeretur, Ammonius lib. 2. cap. 7. Contra quam se res habuit cum regno Francorum, quod nunquam Romanis neque tributarium, neque subiectum fuit: Francorum dico, sive Francogallorum, ut a prisca Gallis, qui omnino a Romanis in ditionem imperiumque redacti sunt, distinguntur. Praeterea Franci non perinde, ut Gothi Vandalique, et in his sigillatim Burgundiones, plures certe potioresque, contagione Arrii veram salutaremque religionem contaminarunt, atque adeo reges eorum Christianissimi et primo- geniti ecclesiae dici coepérunt.

\* Non congruit, quod scripsit Io. Micraelius, renidente Aetio, Burgundos maximam Heduorum Sequanorumque partem occupasse, Syntagm. hist. pol. p. 676. Nam non invito AEtio, et annuente ex ratione civili Valentiniano III. sedes in campus Rhodano Ararique circumiectis date assignataeque sunt.

s. II. Ita vero Burgundiones partim fortuna temporum, partim culpa sua miseri, regnum a parvis initis in tantam amplitudinem evectum, contracta cum Francis affinitate, non diu liberum florensque retinuerunt, nec Clodovaei ad magnum Galliae imperium aspirantis conatus infringere potuerunt. Nam praeter odia et aemulationes, quibus ipsi se confecerunt, partim cauti fuerunt contra Francos, foedera, donec sacerdotis utilitas, servatores, et si ferret occasio, ab initia belli societate discessuros. Qvod postea usuvenit, quam Burgundiones, speciosa amicitia decepti, vires suas debilitant, nec multo post verba sibi fuisse data intellexerunt, praeſertim quum Clodovaeus se bello fratrum immisceret, finitosque callide aduersus se concitaret, atque his modis ad eos opprimendos consilium adhiberet. Erantque tunc multa, quae Clodovaeum propinquae potentiae impatientem stimularent, quando praeter religionis causam, quam exaggerabat Remigius, dotis quoque et opum, quas longo tempore paraverant, rationem habuit, et Chrothildi Aurelianoque (a) ad Gundebaldum infestandum solicitantibus locum dedit, regnum ab eo tributarium pacius est, (b) qvod postquam LXXXIII. fere annis duravit ab eo tempore, quo ad Rhodanum Ararimque cooperat, superiorem liberi regni gloriam mutavit, et post decessum quoque Clodovaei cum Francorum ditione imperioque coniunctum fuit. (c)

(a) Consilium et prudentia Aureliani, quo legato usus Clodovaeus est, passim laudantur. Epitome gest. Fr. cap. 13. Hinc apud Aimoium Milidunum cum subiecto tractu iure beneficii concessit Clodovaeus, lib. 1. cap. 14.

(b) Igitur hanc accurate scriptit Philip. Cluverius, Clodovaeum devicto Gundebaldo, regnum eius suo imperio adiecit, qvod tamen de regno VVisegothico ibidem recte scriptit, Introd. in Geogr. l. 2. c. 13.

(c) Burgundiones moris Francorum non ignari, eos non cupiebant affinitate secum coniungi, quorum arma timebant, fortitudinemque explorabant. Aimoium testatur, Gundebaldum plane invitum Chrothildis ex fratre nepotis matrimonium approbasset nec approbaturum fuisse, nisi existimatasset, Clodovaeum repulsam pro bellis causa habiturum. (V. Epitome gest. Franc. c. 12.) Annuit ergo, postquam de animo Chrothildis cognovit, quae vix ad fines Franciae deducta erat, cum protinus iuberet, ut ad ulciscendam patrui crudelitatem Francos, qui in comitatu erant, ville Burgundicis ignem subiiciant, quod dum si gnavoriter faciunt, Chrothildis laeta agit Deo gratias, et vindictae necis paternae pariter et bellum mox secuturi initium facit, lib. 1. de gest. Francor. cap. 14. Adhuc Remigius Antistes Remensis Clodovaei animum ad summovendos Gallia Arrianos incendit, quod sicuti de Gotis Ariani diserte apud Theronensem lib. 1. c. 37. testatur est, ita verosimili ratione de Burgundionibus Arianius

Arianis colligitur, praesertim quum ex Remigii epistola, quae apud Sirmondum est, \* constat, bellum Clodovaei, quod contra Gothos suscepit, Remigio vel ob odium in Arianos revus probatum fuisse. \*\* Quod cur non acque de Burgundionibus affirmetur, nihil impedit, maxime ideo, quod Chrotilde vindictam agitari (Vid. Fredegarius in ep. cap. 34.) id baud ingratum esse poserat, ut bellum contra parvum, qui manus fraternali sanguine imbuerat, festinaretur. Praeterea non plane nullum momentum eo attulit Aredius, qui postquam exploravit iratum Clodovaei animum, inita valetatis Burgundiae ratione, iam exirema meatus, tributum ei regno imponendum, consilio parum honorifico, sed necessitate expresso Burgundioni suastic, apud Turonensem lib. 2. hist. cap. 32. conf. Fredegarius c. 23. et 24. Gesta Francorum epitoma cap. 16. Ioban. Bussier. hist. Fr. l. 1. p. 28. 29. Quod Gundebaldus non recusare ausus, ex praesenti quidem periculo se regnumque Burgundiae eripuit, sed non multo post rursus irritavit Francos, pacemque nuper de relinqenda Godegisilo regni parte, \*\*\* pendendoque regi Clodovaeo tributo praefratte violavit, nec modo eum regni parte, sed etiam vita multavit, apud Turonensem lib. 2. cap. 33. et Marium Aventicensem in Chronic. Quae perfidia tandem hunc exitum habuit, ut in Gundebaldi filios Sigismundum et Godomarum vindicaretur, quando in patria mores crudelitatem et pertinaciam imitati, nondum obductas cicatrices refricerunt. V. Ioan. Bussieres hist. Franc. lib. 1. p. 29. 30. 45. 46. Ex quibus intelligitur, Clodovaeum totius Galliae in potestatem redigendae consilium iniisse, quod volenti conseillum dare, sola Gotorum potentia obstabat, praesertim quum adnoscatur Theodericus Ostrogothorum rex, ut Clodovaeus rebus ex animi sententia successoribus modum adhiberet. Nec id pro summa prudentia sua ignorabat Clodovaeus, quod VVestrogothi, \*\*\*\* non abniente Theoderito, Burgundionibus opena

Cc 3

ferebant,

\* In corpore histor. Fr. edit. VVechel. est epistola 2. p. 184. Congruitque hic, quod Clodovaeus religionis Christianae mysteriis initiatus Burgundicum Gothicumque bellum gessit et confecit. Mich. Ritius de reg. Fr. lib. 1. Decessit autem Remigius Anno quartodecimo post deceplum Clodovaei.

\*\* Ea de causa ab Ariana religione calamitatum ruinarumque imperiorum initia atcessit Turonensis, fine dubio ad VVestrogothaqvitanici et Burgundici excidium spectans, lib. 3. prolog.

\*\*\* Allobroges, ubi nunc sunt Sabaudi, iam inde antiquitus Burgundiae regno innexi, ex qua causa Duges Sabaudiae eius in regno Germaniae, et publicis eius Comitiis habent. Huc pertinet, et nunc commodum mihi succurrit, quod Gvil. Brito Philippidos XI. v. 55. 164. 176. eos nominavit Allobroges, quos alias Burgundos vocamus. Conf. Casp. Barth. animad. p. 684.

\*\*\*\* Cum lites inter Francos VVestrogothosque oriebantur, tum Gundebaldus Alarico VVestrogothorum regi aequior fuit, atque ita Clodovaeum Francorum regem offendit. Nic. Vignier. Chron. p. 18. Mozeliae augendo odio cause accesserunt, et postquam cum iniuria coniunctae sunt, Clodovaeo bellum molienti belli iusti causam dederunt. Froinde Turonensis ait, Clodovaeum Godegisili petitionem libenter accepisse, l. 2. c. 32.

ferebant, atque his rebus impeditabant, quo minus regnum Francorum accessione Burgundiae amplius formidabiliusque redderetur. Quod certe innuit Turonensis, et congruente rerum gestarum serie, aptaque colligendi ratione declarari potest. Sed redditus Burgundionibus pace, Clodovaeus nihil sibi neque a Gundobaldo, neque a finitimiis Heraulis Turingiisque metuebat, armaque in VVestrogothos, qui sub rege Alarico erant, vertebat. Quod quorsum spectaret, Theodericus, ut cautus erat, facile aestimabat, atque eo minus propinqui regis causam deserendam putabat, vicinosque admonebat, ut VVestrogothorum rationem ducerent, minimeque eos subigi paterentur. Verum illi sive metus, sive amicitiae foederisque nuper illi causa in parem eius belli non venerunt, atque Alaricu[m], invito etiam Theoderico, destituerunt. Quibus rebus evenit, ut regnum Tolosanum, \* quod annis LXXXIX. Gothi Aqvitanici tenuerunt, everteretur, ut ex Iosidoro et Procopio constat. Regna autem Burgundiae et Turingiae tributo pacem a Clodovaeo paciscebantur, \*\* atque ab eius excessu demum in potestatem ditionemque Francici nominis redigebantur. Et nostris quidem rationibus congruit, ut regnum Burgundiae, quod an. 442. coepit, annis fere 84. sibi dicatur. Nam ab eo tempore, quo in Germania Cisrenana I. Burgundiones regnum considerunt, epocha regni Burgundici arcessi non potest, quandoquidem Burgundia non apud Rhenum, sed apud Ararim Rhodanumque quaeri debet. Sine dubio rames eo respxit Bussieres, quum annum 110. regni Burgundici numerat, Burgundici, inquam, quod de nostra sententia cis rhenum anno 413. primordia habuit, atque iuxta has rationes anni 112. effluxerunt, posteaquam regnum Burgundicum in ditionem Fr. est redactum: eo nempe anno, quo e vita decessit prudentissimus Ostrogothorum rex Theodericus, annis aurem 15. post decepsum Clodovaei magni Francogothorum monarchae.

\* Tolosa praecipua Vrbs Galliae Narbonensis, Amm. Marcell. lib XV. Ea regio postea Gothia dicta est, quam VVestrogothi eius imperium obtinuerunt, Gothisque ii etiam Aqvitanici dicti sunt, quod Aqvitaniam quoque sibi obnoxiam habuerunt, v. post scriptores antiquos, Alph. Delbene et Nic. Vignierius.

\*\* Annus 491. insignit Toringiam vestigalem argumento rationis num temporum incerto, epit. gest. Fr. cap. 10. Turon. l. 2. cap. 27. Burgundia A. 502. ad legem tributi solvendi redacta est.

S. III. Annus autem supra qvingentesimum sextus et vigesimus agebatur, quum ex regno Burgundiae provincia facta est, quod accidit, postquam Gundebaldi filii miserum foedumque exitum habuerunt: inter quos natu maior Sigismundus ann. DLI. patri Gundebaldo (qui Ann. 508. obiit: *Sigebertus ad h. A.*) successit, et bello deinceps appetitus, nec multo post captus, atque in puteum cum uxore liberisque coniectus, periit, summoque cruciatu confectus, memorabilem, regisque stirpe indignam poenam dedit. Haec dum fiunt, frater Sigismundi Godemarus, ad spem vindictae excitatus, regnum Burgundiae suscipit, Francisque obviam profectus, Clodomirum contra belli infidias non satis cautum caedit; quod simulac Franci audiunt, repen-

repentino casu commoti, vires colligunt, Godemarique exercitum fundunt, totamque adeo Burgundiam occupant, et regno Francorum adiungunt. (d)

(d) *Hoc est illud tempus, quo Burgundia Francorum ditioni subiecta est, in eius epoca definienda non una eademque sententia est. Sunt, qui in annum 522, reuicant, quod probat Gabriel Bucelinus in annalibus Galliae Nucl. hist. part. 2. ad h. an. Nec vero melius illud est, quod Burgundiam a Clodione Francorum regno adiectam putavit, in Chronologia Constantiensis ad an. 445. Nam veris Francorum monumentis prodicatum est, Clodionem in Germania cis rhenum regnasse, atque exinde in Galliam penetrasse, atque insignem eius partem Romanis eripuisse, sedemque regni in termino Tongrorum \* habuisse, Burgundiones autem trans Rhodanum habitasse, apud Turonensem lib. 2. cap. 9. Vnde sequitur, iam cum eo tempore regiones ad Rhodanum expansas in sedisse, nomenque Burgundiae, Francie longo terrarum spatio disiunctis, auspiciatos fuisse, ut supra rationes a me confitae sunt. Alii annum 534. clade Gundemari, et ex iido regnatricis Burgundionum stirpis insigniunt, Mezieray abreg Chronologique pag. 50. Ego ita suppono, ut annus 526. quem temporum et historiae consensus suppeditat, constituatur. Consentunt Nicolaus Vignierius in Chron. Burgund. ad b. an. Jacobus Meyerius in annal. Flandr. ad ann. eundem: Pontus Heuterius rer. Burgund. lib. 1. et, qui ante hos nominandus erat, Sigibertus Gemblacensis Chron. ad an. 526.*

\* Tongri cis rhenum, non Toringi trans rhenum, unde vulgata et mendosa lectio est corrigenda, cum apud Turonensem, tum apud Aimoinum lib. 1. cap. 4. epit. gest. Francor. cap. 5. Nec officit, quod MSpti aequve ac editi Codices Toringi legunt. Id enim describentium, similitudine nominum facile deceptorum, incuriae adscribendum est. Et sunt aliqui, qui Tongros a Toringis oriundos, velutique per coloniam ad inferiorem Rheni ripam emissos putant.

S. IV. Quae conversio priscorum Burgundiae regum memoriam rerum ab iis bene gestarum delere non potuit, multa autem turpiter admissa memorabili ad posteros exemplo expiavit. Illud minime hic omiserimus, quod Gundebaldus caetera impius, profanosque Arii ritus amplexus, sanctiendarum in Burgundia legum curam cogitationemque suscepit, quibus et si perplura continentur, quae a religione et aequalitate aliena sunt, tamen rudi isto inelegantique seculo laudem haud exiguam auctori conciliarunt. (e) Nec consilia ad regni administrationem idonea ipsis defuerunt, quoad bonis moribus floruerunt, concordiamque servarunt. At ubi odium et regnandi cupido animos incessebant, Francisque affinitate coniunctis ulciscendi occasionem dabant, et potentia ad explendam animi libidinem utebantur, de via retinendae libertatis deflexerunt, Francorumque iugum subiebantur.

(e) *Leges Burgundionum a Gundebaldo eorum rege lat. ap. et a XXXII. eius gen-*

gentis Proceribus subscriptae subsignataeque sunt, ex quarum praescripto viventes cooperunt appellari Gundbadingi, et Gunebodigni, qui ad investigandam incerti obscurique facti veritatem ad manus pugnamque venerunt. Praeterquam autem quod hanc legem Gundebaldianam vobementer redarguit Agobardus, illiusque antiquan-  
dae Hludoviço Pio auctor fuit, Fridericus II. etiam publica constitutione, quae inter Siculas extat, hunc absurdum morem vel eo argumento abrogavit, quod iste modus explorandi per duellum iudicij divini non tam vera probatio, quam qvaedam divinatio dici possit, qvae naturae non consonans a iure communi deviet, aequitatis rationibus non consentiat, prout verba habent Augusti legislatorū. (lib. 2. tit. 33.) Saepe tamen DEUS apud populos legum literarumque rudes permisit, ut laetus evencus causam innocentis comprobaret, forte quod eo rerum statu non tam malitia, quam simplicitate haec ratio probandi recepta esset. Haec in sententiam ivit Hugo Grotius, et praeclare graviterque affirmavit, illis temporibus Deo simplicitatem praec argutius placuisse, in prolegom. ad hist. Gotb. Unde intelligitur, Burgundionibus, postquam in unam cum Francis rempublicam coauerunt, iura et leges pristinas fuisse velitas, ut suis quaque gens instituis sub summo regum Francorum imperio uti posset. Conf. Iacobus Godofredi in prolegom. Cod. Theodos. cap. VII. Sed rationes temporum, quas ibi conficit, ut Burgundiones anno 532. a Franci subactos doceat, mibi non probantur, et vel unius Sigeberti testimonio refelluntur. Alioqui haud possum diffieri, nonnunquam ingens inter Francorum Burgundionumque leges discrimen fuisse, et nunc inprimis, quum caput huius argumenti de iudicio Dei in quaestione versatur. Burgundiones enim nullo interveniente alio iudicio, protinus in hoc certamen, quod monomachian vocant, ruebant: Franci sive acnum admittebant, cum perquisitiō omnibus rebus, nulla alia cruentae veritatis ratio afferri posset. Illi insuper nimio et absurdō rigore viam explorandi divini iudicij imitant, puerosque etiam ad sacramentum, ut homines virium ritio inhabiles atque imbecilles ad duellum adigebant: Franci contra utroque probandi genere interdicabant, nec iureiurando pueros adstringebant, et meliore exemplo finebant, ut pro infirmis aliis quisiā depugnaret. Ex quibus deducit Ludovicus, Cellotius, apud Burgundiones plus vi et impetu acnum fuisse, apud Francos autem magis pietatem valuisse, in append. miscellan. opusc. VI, de populari iudicio Dei. Alioqui scriptores Francici non inficiantur, Burgundiones ratione et consilio polluisse, et inter alios fatetur Aimoinus, eos omnes plus consiliis, quam armis rempublicam tutatos, lib. 1. cap. 14. Quod sine dubio intelligendum est in comparatione Francorum, infra quos erant, sive animorum contentionem, sive armorum usum, sive prosperos bellū successus specto. Fuitque haec causa, cur Gothi Burgundionesque pariter sibi ab ipsis metuerent, Romani-que Imperatores, qui everso Occidentis imperio, in Oriente sedem et summam rerum tenebant, Francorum reges comiter haberent, atque adeo Anastasius Dicorū Clo-

Clodovaeum cum eminentiori Consulatus dignitate, tum novo et memorabili diadema  
tis honore ornaret, apud Turonens, l. 2. c. 38. Qui consulatus prosector insignis  
aliquid excelsiusque denotabat: perinde ut Fredegarius Romanorum consulatum  
significanter explicat, et per eminentiam Carolo Principi assignat, cap. 110. Illud  
vero tam sublimus decus anno 508. regi Clodovaeo partum est, quum iam totius  
Galliae monarca esset, et Consul atque Augustus appellaretur, Turonensis d. l.  
Sed Gundebaldus haec Romanorum amicus et socius, postquam de Romanis bea-  
ne meritus, titulum Patricii, quamlibet infra Clodovaei eminentiam, obtinuit,  
fratribus antehac militiae Romanae societate conjunctis, vim bellumque fecit, re-  
gnumque in quatuor partes divisum solus capessere voluit, et dignitatem, quam  
pace concordiaque tueri poterat, infelici dissidio subvertit. Ea de causa Sidonius,  
qui anno 482. e vita excessit, non obscure innuit, motus tempore retrachiae in Bur-  
gundia fuisse suscitatos, lib. 5. ep. 7. 8. Priorum autem hae turbae exoriae  
sunt, quatuor illi fratres multa auctoritate domi forisque valuerunt, et Olybrium  
Iuliumque Nepotem Augg. studiose adiuvaverunt, militiaeque Romanae magistri in Ita-  
lia atque Gallia fuerunt. Id vero induxit Olybrium, referendae gratiae cupi-  
dam, ut Patricii honorem conferret in Gundebaldum, quod testatur Panvinii Inno-  
minatus. Deinde autem post Iulio Nepote, cuius honori Burgundiones favabant,  
suspitione deinceps ducti, rerumque suarum paulisper satagentes, haecque concor-  
des, Oresti et Augustulo nihil tribuendum duxerunt. Verum quae Occidui Roma-  
norum imperii, eadem regni Burgundionum, quamvis ex diversa causa, vicissim  
fuit illius initia a barbarorum migrationibus, huius ab intestinis dissidiis praecipue  
sunt petenda. Cacterum depravata Arii religio non fuit Gundebaldo communis  
cum omnibus huius familie regibus, propterea quod Sigismundus Gundebaldi filius  
renunciavit Arianis, et reiecto tam detestabili eius sectae errore, verae religionis  
disciplinam securus est, concilioque eam in sententiam convocato, verum incorru-  
ptae fidei caput in Concilio Eponensi afferuit atque stabilivit. Illic veteris Bur-  
gundiae Episcopi convenerunt, et moderante rationes Concilii Sigismundo, Bur-  
gundiam ab Ariana labore purgariunt. Vid. tom. 2. Concil. et Chifletii observatio  
ad Concil. Eponense. Autor huius rei Sigismundo fuit Avitus, qui animum eius ad  
literas et religionis disciplinam effinxit, ac deinde Viennae Archiepiscopus factus,  
concilium Eponae habendum svasit. Annum huius concilii plerique signant 490.  
multi 494. quod tam absurdum, quam certum est, Sigismundum illo tempore re-  
gno Burgundiae nondum praefuisse, neque tunc ius indicendi Concilii habuisse,  
quum Gundobaldus, eius pater Arianus, adhuc in vivis erat, qui erroris ab Avito  
convictus, noluit haeresi renunciare, verumque Deum confiteri, ut est ap. Turonens.  
l. 2. c. 34. Is autem A. C. 508. primum decessit, atque adeo haec Synodus cogi non  
potuit ante A. 509. quo Sigismundus nondum firmato regno, adhuc de partibus cis  
Ararim cum Clodovaeo M. tractabat, nec multo post reversus in eius gratiam, re-

gni paterni administrationem suscipiebat. Vid. Vignierius Chron. p. 20. Io. Bapt. Ricciol. Chronol. reform. tom. 3. pag. 138. Auberius Miratus annum 520. supputat, quod temporum numeris non respondet, siquidem hoc anno Sigismundus iussu Cloドomiri foedo mortis genere est extinctus, Turon. lib. 3. cap. 6. Vignier. Chron. p. 21. Author additionum ad summam Conciliorum Bartholomaei Caranzae existimat, tempore Gelasii I. Pontificis indicium celebratumque fuisse concilium Eponense, pag. 286. Quod neque ullo veritatis indicio colligi potest, et refellitur argumento regni multo serius a Sigismundo suscepti, quoniam initium eius Symmacho, et exiit Hormisdac Ponif. congruit. Quare ab aliis in annum 517. quo Hormisda Pontificalium ges- sit, resurcit, apud L. Bail. tom. 7. Summ. Concil. p. 181. Et si index Chorographicus, qui in adiuvio eius tom. conficitur, annum Symmachi Pontificarii convenientem, qui est 509. denotat, a quo dissentit Veneta Conciliorum editio, quae Hormisda Ponif. intervallum designat. Mea opinione hoc concilium omnino A. 509. ba- bitum est, atque adeo respondet A. undecimo Symmachi Pontificis, quam senten- tiam amplexi sunt Caesar Baronius in annal. ecclesiast. ad b. A. et Severinus Binus in Conseil. Epaunensi p. 552. et not. p. 555. At Petrus Crabbe perperam in Gelasii I. Pontificatum reicit, tom. 1. concil. col. 537. Utunque sit, Burgundionibus id certe Franci acceptum ferunt, quod verae et salutariae religionis disciplinam secuti sunt, quoniam Clotildis Christi sacra in Franciam attulit, et Cloドovacum ad ea amplectenda identidem cohortata est, Turon. lib. 2. cap. 29. Aimoinus lib. 1. cap. 14. Quo factum est, ut voti religione se obstringeret, si Alemannos vinceret, Christo no- men daturum, ibidem cap. 30. Cumque id Dei benignitate evenisset, hostesque ca- stris exiijeret, et iam ita domuisset, ut ditioni suae subiicerentur, votum Deo nun- cupatum persolvit, Remigioque se abluendum obtulit, et solenni pietatis formula sa- cris iniciatus\*, certum aeternae salutis vadim, nos karumque per eum expiatarum pignus accepit, ib. cap. 31. Quamobrem in prisca, quae de Remigii ac Barbitia vita supersunt, monumentis lego, Clotildem appellatam fuisse Christianissimam. Quam recte divinique cultus viam atque rationem ei tradidit mater, semina in- sagra et a labe Ariana immunis, quam semel iterumque Sidonius collaudavit.

\* Hoc Franciae Christianae initium fuit, multo ante enim Gallia Christi sacra fu- scipit, v. Franc. Feuardentius in annotat. ad Irenaci lib. 1. adv. haeret. p. 54.

## CAPUT V.

DE REGNO BURGUNDIAE IN FRAN-  
CORUM I. STIRPIS PROVINCIAM REDACTO  
ATQUE HINC DIVISO.

**O**ppressis ita veteris Burgundionum familiae regibus, Franci Cloثارius et Childebertus Burgundiam ditioni suae subiicerunt, et praeteritis Clo-